

67. De Ulixis erroribus

Homerus, clarus poeta Graecus, narravit longos Ulixis errores¹ per terras et per maria. Itacae rex per decem annos sub Troiae moenibus pugnaverat, et vehementer uxorem filiumque revisere optabat. Sed ob Neptuni iram diu navigavit et, propter vim procellarum et voluntatem adversam fati, suos comites amisit. Nam excaecaverat in insula Cyclopum,² incultorum et horrendorum pastorum, saevum Cyclopem Polyphemum, dei maris³ filium. Polyphemus, monstrum horrendum, unum oculum in fronte habebat. Ulixes monstrum in spelunca expectavit et hospitium⁴ petivit, sed Polyphemus sacras leges et hospitem iura violavit: efferata crudelitate nonnullos Ulixis comites necavit atque devoravit. Tum heros Cyclopem vino perturbavit⁵ et sude acuta excaecavit. Polyphemus ultionem a patre invocavit et Neptunus filii preces accepit: ita ira divina magnarum calamitatum Ulixi⁶ causa fuit.

¹ **errores:** «peregrinazioni». ² **in insula Cyclopum:** i Ciclopi vivevano sulle coste orientali